



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

2. E data causæ liberæ definitione & voluntatis libertate variè
argumentum contra prædeterminatiuas præfinitiones instruitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

(scilicet requisita omnia) in definitione. Quibus addendum non esse remotionem impedimentorum, quia hæc illis particulis: *Quæ umque alia necesse est*, adell sub textu suum statuit his verbis. *Nullo namque exteriorum prohibente adtingere, nihil adhuc oportet*, ut Doctæ S. Thom. ibi lect. 4. & reliqui interpretes. Hæc de requisitis, & prohibentibus actionem; aut quæ eius omissionem impediunt, seclufa satis sunt illa definitionis parte, *potest non operari*: Siquidem potestas absoluta, siue operandi, siue non operandi non est, quæ ex parte actus primi impedita absolute est: quare immutata prorsus causæ libere definitio debet in Scholis perferre.

15. Adhuc consent aliqui addendum definitioni potestatis omnibus requisitis ad operandum, *quorum existentia in potestate voluntatis non sit*. Siquidem in satis communi opinione negante possibilitatem electionis mediocrum, qui finis intentio præcedat, qui non eligit media, quia finem non intendit, cum libere possit, libere etiam dicitur non eligere: quia in eius potestate sit, vel intentionem finis, vel eius omissionem apponere. Cæterum in ea communi opinione, omissionem electionis mediocritate omilla, ac non apposita, sola libertas mediata potest exerceri, quatenus circa intentionis appositionem, vel omissionem exerceri potest: quare verum omnino, ac sine ullo additamento est potentiam liberam esse, *quæ potest omnibus requisitis*, ad operandum potest operari, vel non operari proximè, & immediate, si libera immediate sit, mediate, si solum mediate sit libera.

CERTAMEN II.

Edata causa libera definitione, & voluntatis libertate variè argumentum contra prædeterminativas præfinitiones instruitur.

1. Causæ libere communi definitione asserta, præfinitiones prædeterminativas (quas Thomisticas appellant) Lutheranas, item, & Calvinianas definitam, atque eundem voluntatis, & arbitrij creati libertatem euertere variis, multisque arguendi modis, quicumque eas negant scholastici, efficitur ostendunt; Et eos quidem in præfinitionum pæsequi longissimum esse, neque admodum utile: quare eos solum attingam, quæ planius, pleniusque difficultatem proponant. Eam siquidem hac, vel illa forma in argumenta disponere proprii cuiusque genij, & ingenij labor, & industria est. Arguo primo, causæ libera est, quæ potest omnibus requisitis ex parte causæ ad operandum operari absolute potest, vel non operari: atqui prædeterminativa præfinitione requisita essentialiter ex parte causæ ad operandum posita independenter ab usu libero voluntatis, & arbitrij, (ut adversarij illam ponunt,) non ita hoc potest absolute operari, ut non operari absolute possit: ergo neque est causa, seu potentia libera. Minor probatur: quia posita eiusmodi præfinitione necesse est absolute ex parte causæ esse operationem præfinitam: ergo impossibile est non esse illam, vel esse negationem operationis: necessitas enim causæ, ut sit, negationem possibilitatis, ut non sit, siue impossibilitatem essendi eius negationem, includit, ut ex modalium propositionum æquipollentiis summulitico patet: atqui impossibilitas alicuius extremi, seu effectus ex causa requisitis positus, est impotentia causæ ad illum effectum absolute eis positus: ergo posita ex parte præfinitione, essentialiter, requisita ad absolutam potentiam operandi, absoluta potentia non operandi in voluntate non est. Hanc eandem rationem efformant alij in hunc modum.

2. In omni bona legitimi syllogismi illatione, qui nequit tollere, seu falsificare aliquam ex præmissis, nequit tollere, seu falsificare consequens: aut in hac legitimi syllogismi consequentia bona iuxta præfinitores

hocce: *Omnis, cuius consensus præfinitus prædeterminativus à Deo est, consentiet: sed consensus Petri ita præfinitus à Deo est: ergo Petrus consentiet*. Petrus absolute non potest tollere, seu falsificare aliquam ex præmissis: ergo neque absolute potest consequens tollere, seu falsificare. Minorem proba: quia maior: *Omnis cuius consensus præfinitus ita à Deo est, consentiet*, est in materia necessitatis, in horum sententia: ac proinde ad eam falsificandam, aut tollendam nulla datur in subiecto potestas: si autem neque ad has falsificandas, *Omnis homo est risibilis*, vel *omne album est diffragatum visus*, quia in materia necessaria sunt, nec potentia vlla potest subiectum à prædicato separari. Similiter minor *Petri consensus ita est præfinitus potentia, seu potestati Petri minime subest*, ut tollatur, vel falsificatur: siquidem omnino independenter à Petri voluntate, potestare, & libertate consensus Petri in horum sententia præfinitur. Efficaciam ita efformati argumenti negare non possumus, quin & primo à nobis, & omnibus efformati efficaciam negemus. Illud tamen in Recentioribus nostris nonnullis non probamus: quod hanc arguendi formam, ut proprium adinuentum, quæ communibus solutionibus, & evasionibus non parcat, velint vendicare. Cum tamen tringenta, & amplius retro annis ea forma Ruiz noiter de scientia fuerit vltus: & eius syllogismi maior ea potestare ad omissionem, quam in eo, cuius consensus ita præfinitus à Deo est verumque adinuere, seu fingere adversarij volunt, falsificari posse, eadem, vel falsitate, vel facilitate respondere queant: quod ipsum in alijs arguendi formis omnibus, (de quibus sibi Recentiores, tanquam de adinuentis proprijs blandiuntur, cum tamen nullam antea Ruiz noiter omiserit) cernere licet, quam etiam ob rem eis describendis, & multiplicandis inutiliter hic abstinemus, simpliciter, & clara difficultatum contra præfatas præfinitiones propositione contenti. Ea siquidem sunt, quæ exquisitis artibus suppeditis, ut adversarios vexent, minime indigeant.

3. Argumentor secundo. Posita præfinitione illa requisita ex parte causæ ad consensum independenter ab exercitio libero voluntatis implicat coniungi, seu poni negationem consensus, seu dissentium oppositum: ergo præfinitione requisita ex parte principij posita non est potestas in voluntate ad ponendam consensus negationem, aut dissentium. Antecedens est adversarij doctrina, quod si negent, nobis consentiunt. Consequentia est legitima: quia potentia ad actum impossibilem est Chimærica, & impossibilis: atqui cum per hocce positio negationis consensus, vel positio dissentis, posita præfinitione consensus sit actus impossibilis: potentia ad negationem consensus, seu ad dissentium posita præfinitione est potentia ad actum impossibilem, & Chimærica: confirmatur: quia potentia ad dissentium, seu negationem consensus absoluta, & adequatè talis claudit essentialiter principia omnia essentialiter ex parte causæ requisita ad consensum, &c. E quibus in horum sententia præfinitio consensus, vnum, & præcipuum est: imò, quod cætera principia determet, secumque irresistibiliter ad operationem perducatur, & trahatur: ac subinde vniuersam præfinitionem ad quemvis effectum spectare etiam ad absolutum posse, seu potentiam absolutam ipsius adversarij (vbi in suo hoc principio debent) planefatentur: Atqui cum præfinitione consensus, pugnat dissentius, siue negationis consensus præfinitio: ergo, quod cum præfinitione, seu posita præfinitione consensus sit potentia, seu posse absolutum ad dissentium, seu negationem consensus. Terio causa libera est quæ potest requisitis omnibus ad operandum absolute est indifferens ad operandum, vel non operandum: atqui posita præfinitione consensus præfata ad operandum consensus requisita per vos, voluntas non est indifferens ad operandum, vel non operandum consensus, sed determinata, & prædeterminata: ergo voluntas posita præfata præfinitione, requisita per vos, ad operandum non est causa libera, ac subinde, nec consensus, qui è causæ libertate solummodo liber est, liber erit. Minor est certa siquidem determinatio voluntatis ad operandum posita præfinitione non determinationi & indifferentia ipsius ad operandum omnino contradicit. Quarto necessitas quæ causa est operandi faciunt rem esse, siue, ut res sit, ac fiat, nec solum est

R r r 3 necessitas

necessitas operationis ex suppositione, quod esset, seu, quia est operatio, opponitur, & pugnat cum causa, & effectus ab illa oriendi libertate, ut Patres, scholastici omnes, & Anselmus aiebant cum d. 3. de scient. q. vlt. cum hic, q. 3. estque lumine naturali rationis evidens. Siquidem tunc causa ex necessitate illa effectum operatur: quod naturalis causa, ut contra liberam diuiditur, proprium, & essentialis est. Sed posita praefata praefinitione consensus necessitas consensus voluntatis est necessitas, quae causa est voluntati consentiendi, facitque consensum esse, & fieri à voluntate: ergo pugnat, & contradicit cum voluntatis libertate. Haec omnia argumenta & de se se aperta sunt, & solutionum impugnationis viuidiora persistent.

4. Quinto argumentor ratione, quae omnes omnino aduersariorum euasiones, & solutiones praecipuat, ex statuto apud aduersarios (& si aliis omnibus falsissimo) principio ad efficaces de se nostrarum actionum suadendas, nempe à principio, seu causa indifferenti non potest esse actio determinata, seu effectus determinatus prodire, quo posito eos percontor: an posita praefinitione maneat absolute potentia omittendi, ac proinde indifferens absolute potestas ad actum, & omissionem actus, nec ne? si non manet: ergo nullaratione, & solutione saluatur absoluta potestas voluntatis ad omittendum, neque absolute proinde potestas indifferens ad utrumvis, nec, quae in ea itat, voluntatis, ut huc vique contendebarus, & ostendimus: quare manere assertis, ne des manus aperte: sed tamen aliunde ex hoc responso, & tuo illo principio eas reuinciam hoc syllogismo in serio. *A principio absolute indifferenti nequit esse actio determinata, ac determinatus effectus. Sed per te voluntas, secundum quaecumque rationem, est absolutum principium indifferens operationis, & effectus, atque omissionis eorum posita etiam praefinitione: ergo à voluntate, posita etiam praefinitione tua nequit esse actio, aut effectus determinatus: quod ipsum de progressu alterius determinate extremi oppositi, ad quod etiam voluntas est principium, & potentia absolute indifferens, nempe omissionis aut actus contrarii simili syllogismo infertur: quare, dum aliis, atque aliis solutionibus potentiam absolutam ad omissionem actus praefinit, & ad contrarium actum defendere aduersarij contendunt, & suo illo principio ad nullum extremum ex oppositis potentiam absolutam voluntatis ab illis relinqui conuincuntur. Adiungi posset contra omnes vniuersum aduersariorum solutiones, Sexto aliud argumentum efformatur ex altero aduersariorum principio ad suadendas suas humanarum actionum praefinitiones: scilicet eas poni oportere ad diuinæ de contingentibus scientiæ Physicæ, & Metaphysicæ infallibilitatem, quae sine causa, quae medium eius scientiæ est, determinatione ad effectum, & inevitabili à voluntate connexion cum illo, nullatenus esse potest: & quamquam hoc multo ex capite controu. 2. d. 5. impugnari: ex eo, nunc permisso, argumentor sic contra praesentem, & reliquas omnes eorum solutiones: quia medium Physicæ, & Metaphysicæ absolute infallibile illationis effectus ex causa omnem contingentiam separationis causae ab effectu, seu indifferenciam ad ipsum, vel eius oppositum absolute excludit: ergo vel praefinitio excludit absolute omnem contingentiam separationis voluntatis ab actu praefinito, & potestatem eius ad ipsum omittendum, ac subinde indifferenciam eius ad utrumvis potestatem, ac libertatem, ut contendimus contra aduersarios; vel, si eam absolute non excludit nequit esse praefinitio actus simul cum voluntate medium, cui diuinæ contingentiam futurorum scientiæ infallibilitas absoluta Physicæ, & Metaphysicæ imitatur. Patet extremum hoc: quia infallibilitas absoluta Physicæ, & Metaphysicæ diuinæ scientiæ in causa, quae medium est cognoscendi effectum omnem omnino contingentiam aliter essendi, seu non essendi ab illa causa effectum ab ea causa absolute exclusam supponit, & importat: ergo, si posita praefinitione non excluditur absolute omnis contingentia omittendi effectum, sed manet in voluntate absoluta potestas illum omittendi, & indifferens ad utrumvis potentia, atque libertas, voluntas etiam cum praefinitione non est causa, cui tanquam medio diuinæ scientiæ de actu contingentia praefinito infallibilitas possit imitari.*

CERTAMEN III.

Solutio de potentia in sensu diuiso confutatur.

1. Ad solutiones aduersariorum veniamus, quae eadem cum fatalism Philosopherum, ac Hæreticorum praedestinatorum, nonnullarumque praefinitorum nostrarum actionum à Deo è doctrina, & verborum conuenientia esse videntur, ut constat ex q. 3. & 4. & quarum à ratione impugnationes in hunc locum remissimus. Prodeat solutio illa, primum de impotentia voluntatis nostrae ad negationem consensus praefinito posita praefinitione in sensu composito, potentia autem eisdem ad eius negationem in sensu diuiso, quam potentiam in sensu diuiso satis ad voluntatis libertatem, & potestatem ad extremum oppositum consensui praefinito, & infallibiliter apponendum tuendam, ac subinde ad absolutam voluntatis nostrae indifferenciam, & indeterminacionem ad utrumvis, seruandam, excludendamque solummodo oppositum consensui praefinito, in sensu etiam diuiso necessitatem, & determinationem ex nostra etiam doctrina conuenit ostendere, in qua distinctione eiusdem, & vltus nobis, & necessitas est, ut illam libertatem in nostris etiam principijs ostendamus. Etenim quantumvis indifferencia de se principia voluntatis libertatem, & potestatem absolutam constituentia sunt, posito à voluntate consensui, illam in sensu composito eius negationem, vel dissensum oppositum ponere non posse certissimum est: cum consensus negatio consensui contradicat, ac proinde ac ipsam in sensu composito consensui apponendam, siue (quod idem est) coniungendam cum consensui nullam, etiam in Deo, nedum in nobis, potentia esse potest: cum ad apponendam contradictionem quod Chimærica, & impossibilis omnino potentia sit, atque impossibilis est ipsa contradictio. Ad apponendum vero cum consensui contrarium dissensum non nisi in eo, cui coniungendi contraria facultas est (in Deo nimirum) potentia esse potest: quare in nobis potestatem ponendi dissensum in sensu composito consensus, nulla est omnino potestas; & tamen, quia nobis ad eum in sensu diuiso oppositi consensus ponendum facultas, & potestas adest; adest etiam nobis ponendi consensum, eiusue negationem, & vel dissensum absolutam libertatem.

2. Sed certe, & si communis, & nobis, & aduersarij terminorum eius distinctionis vltus, adeo tamen diuersus est eius apud utroque sensus, ut citius oriens cum occidente in eundem locum possit conuenire; nec immerito proinde de Cabezudo, & hac distinctione ad has difficultates emolliendas vtriusque dixerit Illustriss. Mafereñas d. 2. de auxil. p. 3. n. 11. *Rem non capiunt, vel certe captores sunt, qui apertam veritatem volunt occultant, ne à sua discedant sententia.* Cum enim consensus voluntatis nullatenus ex parte se actus primi, & causae ad se ipsum teneat, sed potius sit voluntatis effectus: licet posito semel à voluntate neque ipse possit non esse, ac proinde eius negatio, aut dissensus oppositus in sensu composito illius esse nequeant: cum tamen in nostra sententia, à voluntate ex parte actus primi, tam de se, quam ex requisitis omnibus ad operandum indifferente, ac proinde non determinata, aut necessitata, vel de se, vel ex requisitis indifferenciam, & libertatem voluntatis, ut causa in actu primo est, quam pro natura, & causalitatis priori supponit, & qua procedit, nequit destrui; nullus enim effectus suae causae, pro tempore, quo agit Physicæ (nec soli moraliter, ut dominium donationem) destructus esse potest: ac proinde voluntatis in actu primo libertas consensui effecto manet, & in sensu composito illius, & si eius negatio ex parte actus secundi posito sit absolute impossibilis, quia libertas voluntatis in actu prima ad utrumque simul ponendum nusquam erat, sed ad ponendum vnum, vel abnegandum. Id quod ex parte actus primi, ad quem actus secundus consentiendi trahi non potest, etiam cum consensui facto ponitur, persequatur: & si posito consensui in continuatione